

§. 9. Quam ipsam rationem inter ceteras potissimum urget *Atban. Kircherus Lib. 3. Arc. N. c. 2. p. 181.* Qui anted diluuium, *inquiens*, neque frumentum neque vites, in usu fuisse objiciunt, illi uti naturalium rerum peritiam destituuntur, ita quoque turpissimè hallucinantur: neque enim hic ullam necessitatē video, cur, ut suæ assertioni, non nullā auctoritatem concilient, destructo totius naturæ statu, statim ad miracula confugere non vereantur. Natura rerum ab exordio mundi a rerum omnium conditore constituta semper eadē & immutabilis perstitit, & usque ad ultimam rerum consummationem perstitura est; sine causa itaque asseverare, Naturæ operationes alias ante diluuium, alias post diluuium fuisse, temerarium, ne dicam stolidum censeo; Et frumenti quidem panisque usum fuisse ante diluuium, nemo negat, imò sacri Textus id apertè docet *cap. 3. Gen. in sudore vultus tui vesceris pane.* Si ergo panis in usu fuit ante diluuium, certè quoque vini usum viguisse, illum fateri necesse est, qui primariorum hominum in ingluviem ebrietate, neque effusorum intemperantiam novit. Neque si audiendi sunt, qui uvas quidem illos comedisse, ajunt, sed vinum minime bibisse: quasi vero adeo stolidi fuerint, ut nobili uvarum liquore allecti illas non in vini liquorem facillimò negotio per expressionem resolverent, qui ex melle hydromely, aut ex succis pomorum pyrorumque expressione mulsum parasse dicuntur. Neque ullam vini habet illorū objectio, dum dicunt, nil de eo in Sacra Genes Scripturâ comperiri, ac proinde ex omnibus mortalibus primum fuisse vineæ plantatorem Noëmum, primumque, qui Vinum gustando inebriatus sit: quod si intelligatur post diluuium, verum est, ante verò diluuium apud primævos homines intra 1656. annos, quis non videt